

in eodem negotio procedentes, gesta omnia conscripta fideliter sub suarum testimonio litterarum ad sedem apostolicam destinarent, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Qui etsi mandatum nostrum exequi cupientes, partibus in ipsorum præsentia constitutis, festinarent in causa procedere, quia tamen cujusdam occasione interlocutoria quam tulerunt, pars Hyldefemensi ecclesie vocem ad nos appellationis emisit, prædicta causa processum habere non potuit coram eis. Partibus itaq; propter hoc postea comparentibus coram nobis tu filia Abbatisa humiliter petiisti, ut præfata deberemus privilegia renovare, præsertim cum in præsentia prædictorum judicum Hyldefem. Ecclesia nihil ostenderit vel probarit, quod monasterio vel ipsius privilegiis in aliquo derogaret; Ex adverso vero petebatur instanter, ut eandem causam discretis viris committere dignaremur, per quos testes reciperentur, quos contra privilegia monasterii ad probandam videlicet præscriptionem legitimam Hyldefem. Ecclesia producere intendebat. Nos autem diligentias attendentes, quod jure civili sit provida deliberatione statutum, ut quando periculum testium formidatur, ne veritas occultetur, & probandi copia fortuitis casibus subtrahatur, etiam lite non testata testes valetudinarii & alii, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, ad testimonium admittantur, ejusdem æquivalens similitudine provocati prædicta privilegia jam quasi nimia vetustate consumpta, cum fuerint non in pergamento, sed papyro conscripta, duximus innovanda ita, quod ex innovatione hujusmodi novum jus minime acquiratur monasterio memorato, sed antiquum jus, si quid habebat, conservaretur tutius per privilegium innovatum. Cæterum quia dictum monasterium ad jus & proprietatem Ecclesie Romanæ spectare per prædecessorum nostrorum privilegia monstrabatur, ne jus apostolicæ sedis permaneret forsitan indefensum, Te filia Abbatisa procuratricem ipsius duximus statuendum, ut cum adversus ecclesie Roman. possessiones & jura non nisi centenaria currat præscriptio ipsa coram

- - de Helmuarhusin & - de Herfethusen, Abbatibus, & -

Decano Palburnens. quibus causam hunc commisimus, procurares, super hoc & aliis vice nostrâ, quæ coram ipsis essent iudicio procuranda. Ne vero contingeret de ipsius statu diutius dubitari vel remanere prædictam ac ulterius indecisam, eisdem iudicibus

Jii

dedi.